



X

1725, 11

12

PROLVSIO

DE

INSIGNI VTILITATE
NOTIONVM

PII HONESTI IUSTI
ATQVE DECORI

A SE INVICEM
DISCRIMINANDARVM

*ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
ORDINIS CONSENSV*

PRAELECTIONIBVS
IN ACADEMIA IENENSI
SEMESTRI HIBERNO MDCCXXV.
INSTITVENDIS PRAEMISSA

AB
HENRICO CONRADO KOENIG
PHIL. ET I. V. D.

IENAE LITTERIS MVLLERIANIS.

T. 2.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE



Q. D. B. V.
P R O L V S I O
D E
I N S I G N I V T I L I T A T E
N O T I O N V M
P I I H O N E S T I I V S T I
A T Q V E D E C O R I
A S E I N V I C E M D I S C R I M I N A N D A R V M . |

§. I.



EX ipsa hominis NATVRA morali, IVS NATVRAE AC GENTIVM, tanquam genuino suo fonte, derivandum esse, apud cordatiores ICTos pariter ac Philosophos, extra omnem positum est controversiam. Et sane homini se ipsum paulo curatius consideranti, saltim quoad palmarias conclusiones, obscurum esse haud potest, * quid sapientissimus Natura auctor Deus intenderit, cum donum illud

A 2

illud vere cœleste, naturam moralem, benignissime ipsi impertivit.

* Egregie hoc argumentum illustrat BARBEYRAC in *diff. prælim. ad Pufendorffii I. N. & G. add. ejusd. Oratio de Studio juris recte instituendo.*

§. II.

Quod quidem ipse SPIRITVS SANCTVS, referente Apostolo PAVLO, clare innuit, quando *ad Rom. I. v. 19.* τὸ γνωστὸν τῆ θεῶ, *notum de Deo*, manifestum esse in hominibus asserit, & *II. v. 14.* gentiles φύσει, *natura facere*, quæ legis sunt; *v. 19.* vero τὸ ἔργον τῆ νόμου, *opus legis*, testante id ipsis conscientia sua, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *cordibus ipsorum inscriptum*, proptereaque eos sibi ipsis legem esse, luculenter admodum declarat. *

* Conf. Magnif. Dn. BVDDI *Institut. Theol. Dogmat. L. 1. c. 1. §. 14. p. 15. L. 2. c. 1. §. 5. p. 203. & imprimis p. 268. in fine.*

§. III.

Si veteres JCTOS consulamus, in propatulo est, illos non minus in deducendis Juris N. ac G. placitis ad naturam provocare. Ita FLORENTINVS *L. 3. π. de J. & J. hominem homini insidiari nefas esse*, exinde probat, quod *inter nos cognationem quandam natura constituerit.* & VLPIANVS ait: *Jus Naturale est, quod Natura omnia animalia docuit, L. 1. §. 3. eod. ubi cum Stoicis * per Jus Natur. τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima secundam naturam ** intelligit.* Ex quo tamen non sequitur, ut Jus Naturæ proprie sic dictum brutis attribuerit, cum potius ipse *L. 1. §. 3. π. Si quadr. paup. fec. dic. brutis rationem diserte denegat. Nec enim, ait, potest animal injuriam fecisse, quod SENSU *** caret.* Quinimo Jus Gentium, de quo GAIVS ait, quod illud

illud NATURALIS RATIO *intes omnes homines constituerit*, L. 9. D. de J. & J. pro synonymo Juris Naturæ habetur Veteribus. ****

* Horum enim sectæ additi erant veteres JCri. conf. omnino Viri Illustris IO. PHIL. SLEVOGTII binæ *Prolusiones de Philosophia JCtorum, & de Philosophia Papiniani*. Hæc extat in *Opusc. de Scētis & Philos. JCtorum* a Consultiss. viro GOTTL. SLEVOGTIO; illa in *Opusc. de Methodo Stud. Juris* a Consult. BVDERO *junctim editis*. add. LIPSII *Manud. ad Stoicam Philosophiam*. L. II. Diff. XVI.

** Percinent hæc verba CICERONIS de *Offic.* L. I. c. IV. & IAC. FACCIOLATI in *Epicome* huic capiti præmissa. add. GROTIUS de J. B. & P. l. 1. c. 2. §. 1.

*** i. e. ratione. Ita IUVVENALIS Sat. XV.

*separat hæc nos
Agrége mutorum, atque ideo venerabile soli
fortiti ingenium, capiendis que artibus aptum,
SENSVM a cælesti demissum iraximus arce,
Cujus egent prona & terram spectantia. &c.*

**** Vid. §. 11. *Inst. de R. D. L. 1. pr. π. de A. R. D. L. 48. de R. J. Probant idem exempla L. 2. & 3. π. de J. & J. coll. L. 1. §. 4. cod. confer. SCHVLTINGII Jurisprud. Antæ Justin. ad Gaji Inst. L. 1. tit. de J. N. G. & C. not. 12. p. 3.*

§. IV.

Quemadmodum autem ex dictis satis elucescit, in mentem non venisse Veteribus JCris, Jus Natura propriè sic dictum, extra limites naturalis rationis, seu naturæ moralis, quærere; ita facile patet, falli eos omnes, qui juris hujus placita ex ejusmodi principiis derivare sustinent, quæ per solam revelationem * nobis innotescunt. Quis enim non videt, rationem & revelationem hoc modo confundi? Licet negari non possit, ex sacris literis Jus Naturale mirifice posse illustrari, & concordiam

diam revelationis cum ratione pulchre admodum ostendi.

* Nominasse sufficiat GRATIANVM, qui *dist. 1. princ. ait*: *Jus Naturale est, quod in lege & Evangelio continetur.* II. VAL. ALBERTI, qui ad *Statum integritatis*; PRASCHIVM, qui ad *legem Christi* provocat.

§. V.

His ita compositis, atque Juris Naturalis fonte, soli naturæ hominis morali asserto, veniamus in rem præsentem, & quantum instituti sunt ratio, breviter hac ipsa natura duce videamus, tum quomodo PIVM, HONESTVM, JUSTVM atque DECORVM inter se dissent, tum quamam sic insignis illa utilitas, quam de discriminandis hisce notionibus venditamus. Equidem ad differentiam evincendam non opus hic erit operosa propositionum Juris Naturalis coacervatione, sed partibus meis satisfacisse mihi videbor, si brevitas studiosus potiores tantum, easque indubitatas in medium proferam, ex quibus laudatum discrimen haud difficulter pateat. Ut tamen habeant dicenda quo se referant, decantatissimum illud Juris Naturæ principium: *Fac ea, quæ tuam & aliorum felicitatem promouent, cynosura inftar mihi esto.*

§. VI.

Ipsa sana ratio non una via Dei existentiam * docet hominem, quod nemo nisi stultissimus vocabit in dubium. Docet nimirum illa, Deum omnes perfectiones in eminentissimo gradu possidere, humana negotia provide curare, velle homines esse felices, & sic porro. Quarum perfectionum attentior consideratio non potest non homini amore erga Deum instillare, vi cujus ex per-

perfectionum divinarum contemplatione summum capi-
piat delectamentum. Hic autem amor erga Deam in-
dissolubili nexu etiam *timorem erga Deum* secum vehit,
quam arctissimam inter amorem & timorem cognatio-
nem, vel ipsa confirmabit experientia. Quodsi enim a-
mamus aliquem, quo ardentius amamus, eo circumspe-
ctius cavemus, ne quid agamus vel omittamus ipsi ad-
versum. Hac itaque circumspectione seu sollicitudine
agendi, timor ** absolvitur. Sed & *spem* atque *fiduciam*
in Deo collocabit omnem, qui perpendit, pro *infinita*
sua sapientia, nosse Deum quid prosit, quid oblit; pro *in-*
finita sua bonitate, velle rebus mortalium consulere; pro
omnipotentia sua, posse, in dirissimis etiam calamitatibus,
adjumento esse. Qua ratione *acquiescentia* conciliabi-
tur homini, ut divino fretus auxilio, nil desperandum
esse judicet, sed seriis potius precibus, se suaque Deo
commendet, & pro innumeris beneficiis debitam per-
solvat gratiarum actionem.*** Quantopere itaque felici-
tatem suam, ita erga Deum sese gerendo, promoveat
homo, in proclivi est, cum secus agens pœnas divi-
nas**** non possit effugere, infortunii sui ipse faber.
Hæc autem *officia erga Deum* observans, Deum colere
seu *pia vivere* dicitur. Unde quid *Pium*, quid *Impium*,
quid *Pietas*, quid *Impietas*, quid denique *Regula* seu *Pra-*
cepta Pii, facile intelligitur.

* Quam Jus Naturæ ceu alibi demonstratam supponit. Sedes
enim genuina hujus demonstrationis ad Philosophiam pri-
mam referenda. Aliorum opiniones vid. in B. FRAGE-
MANNI *Jurisprud. Nat. Exercitat. IV. §. 3. not. b. p. 86.*

** Potest idem illustrari exemplo liberorum, qui, si ex toto pe-
store amant parentes, ab omnibus ipsis adversis sibi cavent.

Ita

Ita PAVLVS ad Rom. VIII. 15. inter reverentiam filialem & metum servilem distinguit.

*** Et his internus cultus maxime absolvitur. Confer, Magnif. Dn. BVDDEI *Institut. Theolog. Mor. Part. III. c. III. Sect. I. §. 1. p. 426.* de insufficientia religionis naturalis vid. *Eund. in Institut. Theol. Dogm. L. I. c. I. §. 16. seqq. p. 20.*

**** Confer, Magnif. Dn. BVDDEI *Institut. Theol. Mor. Part. II. c. IV. §. 19.* BARBEYRAC ad *Pufendorffii Jus N. & G. L. II. c. III. §. 21. coll. L. II. c. IV. §. 3. ill.* BOEHMERI *Jus Publ. Univers. Part. Gen. c. I. §. 28.*

§. VII.

In se ipso vero mentis aciem defigens homo, atque non corpore tantum, sed anima rationali quoque se praeditum esse cognoscens, haud difficulter perspiciet, miseram fore conditionem suam, nisi pro virili id agat, ut ignorantia atque erroribus quantum potest, se liberet, & *intellectum veritatibus*, pro statione quam tenet, aut eo, quod sibi elegit vitae genere, necessariis & utilibus instruat, eundemque magis magisque indies ad perfectiorem evehat gradum. At vero quid omnis ipsi proderit cognitio, quid omnis eruditio atque scientia, si vitiis litet, & *voluntas* ipsius coeco affectuum impetu in transvorsum agatur, summamque hoc pacto sibi ipse contrahat calamitatem atque miseriam, necessario & inevitabili nexu subsequaturam, nullo contra, nisi *virtutis* studio, avertendam. Sed & *corporis* habenda erit ratio, ita ut *santitati* ejus, quantum fieri potest, prospiciatur, fugianturque contra, quae eandem aut debilitare possunt, aut prorsus intervertere.

In his itaque generatim officia hominis erga se ipsum consistunt, quae intuitu *intellectus*, VERITATIS; intuitu

tu corporis, SANITATIS studio, absolvuntur. HONESTE vivere dicitur, qui hæc officia erga se ipsum * observat. Hinc notiones honesti, inhonesti seu turpis, honestatis, inhonestatis seu turpitudinis, erunt in aprico.

* Prætermittendum hic non est, quod ex infra dicendis patebit, admittere hominis officia erga se ipsum duplicem respectum; quatenus enim veritatis, virtutis, sanitatis studium ad tuam intendis felicitatem, sunt officia honesti: quatenus ad aliorum felicitatem seu commoditatem, non incongrue ad officia decori referuntur. vid. B. PRAGEMANNI *Jurisprud. Nat. Exercitat. IV. §. 43. p. 107.*

§. VIII.

Existere autem præter se & alios videt homo, & vel sola experientia duce discere potest, se sine aliis hominibus vix fore hominem, quinimo sermonem propter socios, alias sane parum utilem, ipsi esse inditum. * Id quod ipsum convincat oportet, tantum abesse, ut alios lædere ipsi liceat, ut potius humana indignum societate se habitum iri, & innumera sibi imminere pericula cernat, si jura aliis quaesita turbare, corpori, existimationi, bonis aliorum damna inferre, & reliqua, quæ ad conservationem societatis necessario spectant, susque deque habere velit. Quisquis vero officia erga alios eatenus observat, quatenus ad conservationem societatis necessario spectant, iuste vivere dicitur, voce videlicet stricte accepta. Simul autem patet, quid justii, justitie, injustii, injustitie seu injuria, vocabulis subjiciatur.

* Conf. quæ prolixè hunc in finem disserit PVFENDORFFIUS in *J. N. & G. L. II. c. II. §. 2. c. III. §. 14. seqq.* EPHR. GERHARDVS *Delineat. Juris Nat. L. I. c. 3. §. 4. seqq.*

§. IX.

Nec tamen officia erga alios adeo arctis circumscribuntur limitibus, ut ea tantum quæ necessario ad societatis

B

tatis

tatis conservationem pertinent, hic in censum veniant. Facili enim negotio sentiet homo, se multis nominibus felicitati suæ derogare, atque obicem ponere, nisi sociorum quoque animos sibi conciliet, & quicquid ad ipsorum commodum conferre possit, lubenti conferat animo. Itaque TERENTIANVM * illud: *homo sum, nihil humani a me alienum puto*, quod CICERO ** inculcat, & SENECA *** tantopere commendat, semper habebit ante oculos. Imprimis autem cavebit, ne turpissimo *ἀγοριστίας*, seu *ingrati animi* crimine sese contamineat. Ita vitam suam instituens, DECORE vivere dicitur, quippe officia ad societatis commoditatem facientia observans. Nec obscurum amplius, quid decori seu humanitatis, indecori seu inhumanitatis appellatione veniat. ****

* *Hcaumont. Aët. I. Sc. 1.*

** *De Off. L. I. c. IX. tit. L. I. de LL.*

*** *Ep. XCV. Digna sunt, quæ hic legantur, aurea profecto verba: Ille versus, ait, in ore & in pectore sit: HOMO SVM, HVMANI NIHIL A ME ALIENVM PVTIO. Habeamus in commune quod nati sumus, Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustentur. Ineptam igitur, quam huic versui vulgo affingunt sententiam, non immerito vocat GRAEVIUS in Not. ad Cic. de off. l. c.*

**** *De Decoro Naturali & civili ex instituto egit B. EPER. GERHARDVS in appendice Juris Nat. conf. Excell. STOLLII diss. de Decoro Politico, & Ejsnd. Einleitung zur Historie der Gelahrtheit pec. cap. von der lehre des Wohlstandes, Part. III. c. III. p. 658.*

§. X.

Quandoquidem vero ex hactenus dictis conficitur, satis fundatam esse inter præcepta PII, HONESTI, IVSTI atque DECORI differentiam, a diversitate diversi circa quod versantur objecti, puta DEI, HOMINIS, SOCIORVM, depromptam; ita vel me non monente apparet, præcepta

pta hæc junctim sumta, totum LL. Naturalium complexum comprehendere, obligare etiam omnia ac singula tanquam LL. *Naturales*, imo prorsus *divina*, *interne in conscientia*, neque quoad vitæ praxin a se invicem divelli posse, si homo felicitatem suam ab omni parte curæ cordique habere velit. Admodum tamen insignis utilitas, eaque non una, hujus distinctionis se exserit, quam ut paucis nunc exhibeam, instituti postulat ratio.

* *Quot enim dantur humane felicitatis media sibi non adversa, & species invicem connexæ; tot etiam dari necessum est normas, (seu principia particularia) actionum humanarum, totque existunt moralitatis gradus.* B. GERHARDVS Delin. *J. N. L. L. c. VII. §. 45.* Primus qui hæc principia ad se invicem accurate discrevit, est ill. THOMASIVS. Uti vero naturale prorsus est hoc discrimen, ita nec Veteribus incognitum fuit, quod verba SENECÆ infra ad §. 17. citata evincunt. Sic quoque inter *justum & decorum* disertis verbis distinguit CICERO, L. I. c. 28. *de Offic. IUSTITIÆ*, ait, partes sunt, non violare homines: VERECUNDIÆ, non offendere, in quo maxime cernitur vis DECORI. Quæ recentissime contra hanc distinctionem dubia movit Excell. GLAFEY, docte refutavit Excell. STOLLIVS, in *diff. de Decoro Politico. §. 3.*

§. XI.

Est vero hæc utilitas conspicua:

I. In discernendis principiis Juris Nat. *universalibus*, & *particularibus* seu *subordinatis*.

Ita principium *universale* J. N. erit:

Fac ea quæ felicitatem tuam & aliorum promovent, vel

Fac curvis ea, quæ Naturalis relatio ad eum te docet, vel

uno vero: *Ama.*

Principium particulare

PII:

Deum cole, seu Ama Deum.

HONESTI:

*Cura, ut sit mens sana in corpore sano, vel:
ama te ipsum.*

IVSTI ET DECORI simul:

Socialiter vive, seu ama proximum.

IVSTI speciatim:

Fac ea, quae ad societatis conservationem faciunt, vel:

Neminem laede, vel:

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

DECORI speciatim:

Fac ea, quae ad societatis commoditatem faciunt, vel:

Ut ameris, amabilis esto, vel:

Quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipse aliis facias.

§. XII.

II. Circa controversiam frequentissimam: num hoc vel illud principium sit adsquatatum, nec ne? * facile sopiendam, si attendatur, utrum quis J. N. in latiori, an vero strictiori sensu acceperit. Notum enim est, alios late J. N. sumere, quo sensu PIVM, HONESTVM, IVSTVM atque DECORVM comprehendit; Alios vero Pium excludere, & ad Theologiam Naturalem referre, relietis Juri N. HONESTO, IVSTO atque DECORO; Alios vel Honestum quoque rescindere, quibus illud ad Ethicam spectat, & sic IVSTVM atque DECORVM tantum Juri N. substernere; alios denique strictius adhuc, separato Decoro, solis IVSTI principii inhærere.

* Tota disceptatio de principio Juris N. genuino, scætet Logomachiis quam plurimis, in re fere omnes inter se conveniunt, qui in verbis sunt tam difficiles. Interim non nego, unum principium altero esse evidentiùs, neque illis patrocinari, animus mihi est, qui principia neque ad naturam, neque ad legem pertinentia, sed absque prorsus, in medium proferunt. Controversiam vero de limitibus Juris N. plane inutilem censeo. Confer. Viror. Excell. KUNHOLDI Oratio Lips. 1723. habita. de Logomachiis circa Principium Juris N. & TREVERI Diss. de Logomachiis in Juris Naturæ doctrina. §. XIII.

§. XIII.

III. In doctrina de collisione * *legum naturalium*.
Pium si reliquis officiis collidatur, anteponendum esse
 omnibus palam fit, quoniam illud Deum; ** reli-
 qua saltem homines vel nos ipsos vel alios concer-
 nunt.

Honestum, iusto & decoro collisum, his itidem antefe-
 rendum, *** quia ordinata charitas incipit a se
 ipsa, & in vulgus notum est dictum: proximus
 sum egomet mihi.

Iusti & Decori collisione docemur summo juri non
 semper inharendum, sed potius nonnunquam de
 eo aliquid remittendum esse. ****

* Quando scilicet duæ diversæ indolis concurrunt leges seu offi-
 cia, quæ ambo observari nequeunt, ubi unum alteri cedere
 debet, confer. Excell. RINKIUS *Diss. de Collisione legum Natur.*
Altorsii 1709. habita. HERTIUS *diss. de Collisione legum. Opusc.*
Volum. I. Tom. I. p. 129.

** Ita vitæ conservandæ causa faciendum nihil quod honorem
 Dei lædat. HERTIUS *l. c. Sect. II. §. 2.*

*** Sic recte vitam, si elabi non possis, cum internectione alte-
 rius licebit tibi defendere, unde *moderamen inculpatæ tutelæ*,
 de quo latius laudatus HERTIUS *l. c.* GROTIUS *l. II. c. 1. §. 4. sqq.*

**** I. e. ne par pari semper referendum esse censeamus, id quod
 non solum ipse inculcat SERVATOR *Matth. V. 38.* sed nec
regulis PRUDENTIÆ quidem consentaneum est, quæ uti in
 applicatione doctrinæ Juris Nat. ad vitam quotidianam
 utramque faciunt paginam, ita hinc quoque attendendæ.

§. XIV.

IV. In extricanda *equivocatione* harum quatuor no-
 tionum. *

Pium late sumtum *Honestum Justum & Decorum* junctim
 sub se comprehendit; *strictè officia erga Deum.*
HONESTVM in latiori sensu *Pium, Justum, & Decorum,*
 nec

nec non *Iustum & Decorum*, quandoque etiam solum *Decorum*; in strictiori non nisi *officia erga nos ipsos* involvit.

IVSTVM latiori ambitu, *Pium, Honestum* atque *Decorum*, aliquando saltem *Honestum* atque *Decorum*, frequentissime simul *Decorum*; strictiori, *officia erga alios*, quæ ad *conservationem societatis* necessario faciunt, designat.

DECORVM in latiori significato simul *Honestum & Iustum*, nonnunquam solum *Honestum*; in strictiori *officia ad commoditatem societatis* facientia concernit.

* Quæ frequens admodum est, v. g. quando CICERONI *Pietas*, & *charitas*, & *bonitas* quasi idem valere videntur, eademque ad parentes, cognatos, patriam refertur. Porro si sola bona dicuntur, quæ *honestæ*, sola mala, quæ *turpia*, aut cum GORNELIO NEPOTE: non eadem omnibus *honestæ* esse. Similiter quando inter *Iustitiam universalem & particularem* distinguitur. Denique cum CICERONI *Decorum* vocatur, quod consentaneam est hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differt, aut *eidem: Honestum* est quod *debet*, & quod *debet*, *Honestum &c.* confer. B. FGERTSCHIVS *dissert. de Decoro divino, S. 1. 2. IO. BAM. STRYKIVS de Jure liciti, sed non honesti. c. 1.*

§. XV.

V. In diverso *Juris effectû*, * IVSTI atque DECORI. **

Iusti enim *violatio* in statu naturali bello, ita ut per violentiam propriam læsio reparari possit; in statu civili vero, *actiani* locum facit: *Decorum* vero *violatio* non item; ubi de inhumanitate alterius tantum queri possumus. Inde patet, quid *juris perfecti & correlatae obligationis perfectæ; Juris imperfecti & obligationis imperfectæ*, nomine veniat. *Jus perfectum* enim ex *justo*, *jus imperfectum* ex *Decoro* oritur. Hæc eadem ad *Jus Gentium* quoque applicari possunt. Cum enim *Jus Gentium* reapse a *Jure Naturæ* non sit distinctum, *** facile intelligitur, *violacionem Iusti* inter gentes *justificam belli causam* esse: **** non item

item Decori, nisi quatenus læsionem simul involvit.

* Quoad obligationem enim, uti jam supra dictum, non differunt, quia Decorum æque ac Justum in conscientia obligat.

** Quæ de Decoro speciatim hic dicuntur, mutatis mutandis etiam de Pio & Honesto valent.

*** Pro Lege scilicet sumtum, qua integra gentes sibi invicem obligantur, & sic nil aliud est, quam ipsam Jus Naturæ ad Gentes applicatum, cujus applicationis regula generalis est: Quicquid singuli homines, singulis debent ac omnibus, tam intuitu IUSTI, quam DECORI; idem etiam singule Gentes singulis debent ac omnibus. Reliquos Juris Gentium significatus enucleat Ill. THOMASIVS in *Fundamentis J. N. & G. L. I. c. V. §. 66. seqq.*

**** *Causa justa belli suscipiendi nulla esse alia potest, nisi injuria.* GROTIUS de *J. B. & P. L. II. c. 1. §. 1.*

§. XVI.

VI. Porro tam intuitu graduum sapientia atque stultitia hominum, quos significanter admodum ostendit hæc distinctio; quam ratione graduum boni cujus promotionem, & mali, cujus remotionem pro scopo habet, sed cum utramque hanc differentiam luculenter tradiderit Ill. THOMASIVS, * nolō eum hic exscribere. VII. Similiter facile est intellectu Pium & Honestum primario circa felicitatem hominis internam; Justum vero & Decorum circa ejusdem felicitatem externam occupari.

* In *Fundament. Juris N. & G. L. I. c. VI. §. 72.*

§. XVII.

VIII. Nec non in applicatione Juris N. ad Jurisprudentiam civilem. Tota enim fere Jurisprudentia civilis circa Justum stricte sic dictum occupatur; cum poenis externis obtineri haud possit, ut homines insuper pie honeste & decore vitam agant. * Non raro tamen LL. civiles ad PIVM, HONESTVM atque DECORVM respiciunt, quo casu obligationi in se quidem fortissimæ, sed internæ, h. e. in conscientia, externa obligatio accedit. Hinc facile quoque decidi poterit questio: num Justitia universalis

lis an particularis pro sine Jurisprudentia civilis sit habenda?
 Ex dictis enim patescit, non universalem sed particula-
 rem Justitiam ejus finem esse, cum a potiori desumenda
 sit denominatio.

* *Quod tamen omnino boni civis est. Egregie SENECA, de Ira, L. II. c. XXVII. Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse! quanto latius OFFICIORVM patet, quam IVRIS Regula? quam multa PIETAS, (en Pium!) HVMANITAS, LIBERALITAS, (Honestum & Decorum) IVSTITIA, FIDES, (Justum) exigunt, quae omnia extra PVBLICAS TABVLAS sunt.*

** Confer. FRANTZKIUS ad π. tit. de J. & J. n. 36. seqq. B. PRAGEMANN in Jurisprud. Nat. Exercitat. V. §. 3. p. 114.

§. XVIII.

Hæc pro instituti ratione sufficiant. Potuissẽm, fateor, insignem utilitatem hujus argumenti uberius deducere, sed temporis penuria præclusus, filum hic abrumperẽ cogor. Restat, ut Prælectiones hoc semestri a me instituendas, GENEROSISSIMIS AC NOBILISSIMIS DOMINIS COMMILITONIBVS, quibus forte e re videbitur, scholis meis interesse, breuissimis significem. Interpretari autem, Summo Numine propitiante, animus est:

I. Hor. IX -- X. *Institutiones Justinianeas.*

II. XI -- XII. *ILL. BOEHMERI Tr. de Actionibus.*

III. II -- III. *B. STRUVII Jurisprudentiam forensẽm.*

IV. IV -- V. *Jus Nature ac Gentium, ad ductum libelli PVFENDORFIIANI de Off. Hom. & Civ. in quem etiam Disputationes publicas instituere, propositum mihi est. Nec iis deero, qui GROTIUM de J. B. & P. sibi explicari desiderant. De Methodo, qua in singulis hisce usus sum, sub initium, quod fiet d. viii. Octobris, præfabor. Faxit Deus, ut omnia in nominis sui vergant gloriam, & proximi emolumentum. Dabam e Musco, d. xxix. Septembris. M DCC xxv.*

Jena, Diss; 1725


ULB Halle
004 577 949

3



f
56.





Farbkarte #13

B.I.G.

T. 2.

1725/11
12

PROLVSIO
 DE
 INSIGNI VTILITATE
 NOTIONVM
 PII HONESTI IUSTI
 ATQVE DECORI
 A SE INVICEM
 DISCRIMINANDARVM
 ILLUSTRIS IVRECONSULTORVM
 ORDINIS CONSENSV
 PRAELECTIONIBVS
 IN ACADEMIA IENENSI
 SEMESTRI HIBERNO MDCCXXV.
 INSTITVENDIS PRAEMISSA
 AB
 HENRICO CONRADO KOENIG
 PHIL. ET I. V. D.
 IENAE LITTERIS MVLLERIANIS.

